

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Aspirationes mentis et cordis - Cod. Ettenheim-Münster 82

Landsberg, Johannes Justus

[S.l.], [18. Jahrh.]

Caput 10mum

[urn:nbn:de:bsz:31-108793](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-108793)

3- Ecce amicus amici, agrotus medici, sponsa
 sponsi, orphanus protectoris recreatur presen-
 tia, et ego non delectabor in Deo salutari meo
 amico meo, medico meo, sponso meo, protectore
 salutis meae aque fidelissimo, ac presentissimo.
 O dulcissime Deus, o ut te semper habeam in
 corde, in ore, et praeculis. O ut assidue in
 conspectu tuo cum magna letitia assistam.
 Scribe, obsecro, in tabula cordis mei sanctissimam
 tui memoriam, ut nihil carnale, nihil indignum
 cogitem, sed te solum quera, et presentiam tuam
 in intimis meis semper sentiam. Effice, ut
 ego totus dulcedine sanctae presentiae tuae ple-
 nus, totus etiam flammam tui amoris sue-
 cendar.

7 qui nempe sanat
 omnes infirmitates meas
 ps. 102

Caput 10^{mum}

Continuatio earumdem as-
 pirationum.

1. O quam magna affici deberem letitia,
 dum considero mihi semper esse presentem
 Deum meum, Dominum meum, creatorem
 meum tanta majestatis, ut coram eo contre-
 miscant omnes potestates: tanta immensita-
 tis, ut coelum et terras eum capere non suffi-
 ciat; tanta ^{pulchritudinis} formositate, ut in eum angeli
 prospicere desiderent; tanta nobilitate, excel-

lentia, et bonitatis, ut exsuperet omnem sensum. Ecce tantus et talis Dominus semper mihi suam exhibet presentiam; ipse enim supra me, infra me, circa me, intra me, atque in anima mea, velut in coelo suo habitat mihiq; ita intendit, ac si omnium oblitus esset, atq; à singulis vacans mihi soli intendere vellet. O Domine Deus, o perpetue speculator vite meae, cur non vicissim intendo tibi? An ad aliquid melius, praestantius, aut sublimius oculos meos convertere potero, quam ad te, qui es bonum omnium bonorum, delectatio omnium delectationum, voluptas omnium voluptatum. O amabilissime, o desideratissime Deus meus illumina oculos meos, ut videam te, et gustem, quam suavis sit spiritus tuus; Scio enim dulcissime Deus, nihil mihi tam suave, quam tecum esse, tibiq; adherere.

non semper

2. Gaudeo o Domine Deus, quod ego creatura tua sim in te Deo meo, sicut piscis in magno mari undique à Majestate sua veluti circumfusus à dextris, et à sinistris, supra, et infra; imò quod non tantum ego in te sim, sed etiam tu sis totus in me, totus in fundo anima mea cum infinita pulchritudine, amabilitate, dulcedine, opulentia, magnitudine, excellentia, immensitate, et infinitis aliis perfectionibus tuis. Hunc tam in-

25
19
comparabilem thesaurum, hoc tam immensum bonum, cum intra me habeam, quid ultra petere possum? O Deus meus et omnia nihil praeter te requiro, sentiat obsecro anima mea praesentia tua dulcedinem: transeat mens mea cuncta sensibilia, figaturque oculos suos in te inestimabili ac summo bono meo, in quo solo conquirere, in quo solo delectari, ac consolationem capere desidero.

3. Verum o Domine Deus non solum sum in te, sicut piscis in mari sed etiam ~~in te~~ sicut pinguis in mari infans in utero; ideo serva me. Sum in te velut pupilla in oculo; ah custodi me. Sum in te velut avis in aere; sustenta me. Tu quoque mi Deus es in me velut anima in corpore; ah vivifica ^{me} velut magister in schola; doce me. velut sol in coelo, illumina me: velut Deus in templo, sanctifica me. Praeterea totus es oculus, omnia mea, etiam cordis ^{abscondita} ~~praecordia~~ perlustrans: totus amor me intime complectens: totus bonitas mihi summe benefaciens.

~~Quis mihi tribuat Deum meum et meum erga me te amorem perpetuum demonstrum? O quid rependam tanto amatori tanto benefactori? suscipe me Domine Deus suscipe me in quantum perpetui mei erga te amoris et gratitudinis. O quid rependam tam vigili anima mea inspectori, amatori, benefactori? En totum me tibi trado, suscipe me Domine Deus, suscipe me totum in pignus perpetui mei erga te amoris, et gratitudinis.~~